

2346

/ Ill/me et R/me Domine,

Jam quartus propemodum finitur annus ex quo statum Ecclesiae nostrae totiusque diocesis Iprensis in Comitatu Flandriae S/ae S/ti exposuimus per M.Guillielmum Düsselinck Cathedralis Ecclesiae Iprensis Canonicum ad hoc expresse deputatum, ac speramus S.Beat. pro illo tempore satisfecisse, nunc autem cum iterato tempus redierit quo limina Apostolorum Petri et Pauli personaliter visitare debeamus juxta juramentum in consecratione nostra praestitum, seu secundum ordinationem felic.record.Sixti Quinti Pont.Max., optarem excusari per duorum aut trium annorum spacium à praedicta visitatione, eo quod varias habeamus difficultates cum magistratibus laicis ratione jurisdictionis ecclesiasticae, qui multas sibi praeeminentias tum in parochialibus Ecclesiis tum in aliis praeter consuetudinem pluribus annis observatam vindicant. Qua in re plurimum nobis assistentiam praestat et adlaborat Ill/mus et R/mus D'nus Lucius Sanseverinus Nuncius Apostolicum a Sua Sanctitate huc missus. Ut autem plenius de his et singulis aliis difficultatibus Suam S/tem possemus informare, optamus super praedictis liminibus Apostolorum visitandis ex Apostolica gratia dispensationem. Quapropter humiliter

20 Ill.V.Gratiam rogamus et obsecramus apud S.Beat. aut alios, quos Ill.V.G. noverit magis expedire, impetrare dignetur, et sibi aliis nominibus obligatum se magis ac magis devinciet, et ne diutius aequo scriptis meis Ill/am V'ram Amplitudinem detineam, Omnipotentem Deum precabor ut eandem in multos annos servare, et prosperare dignetur,

25 meque ei Ecclesiamque meam humiliter commendando, Ipris hac 13/a Januarii 1621.

Ill/mae et R/mae V.G. servitor obsequentissimus et discipulus

Antonius episcopus Iprensis.

30 Adr.: Ill/mo ac R/mo Domino Dño Cardinali Bellarmino etc. Romae
(cachet)